

legum normam conformabant. Ad Pietatem, iustitiam, vigi-  
lantiam ac sobrietatem modestiamque & legum observantiam  
adstringebantur. Consortium eorum nonnisi cum nobilissi-  
mis optimeq; institutis fuit. Ad numinis reverentiam & vi-  
tam Diis gratam à Sacerdotibus exhortati. Exactam tempo-  
ris rationem habere; judicia sedulo obire, audire patienter cau-  
sas; ebrietati non indulgere, nil contra vel præter leges statue-  
re, denique totam vitam Reipublicæ ac subditorum bono unice  
impendere. Atque hæc cum facere legibus tenerentur,  
tantum absuit, ut indigne ferrent aut offenderentur, ut contra  
beatissimam se vitam agere existimarent. Alios mortales affe-  
ctibus indulgentes suis damna multa & pericula incurrere per-  
susi, se vero regulam vivendi à prudentissimis viris approbatam  
amplexos ab officio minimum aberrare statuebant. Sicque  
subditorum benevolentiam freti tuti & incolumes agebant: Et  
integrum Rempublicæ suæ statum diutissime conservabant in-  
summam vitam felicitate exigentes. Ad hæc maxima vis opum  
collecta; provinciarum inimitabili operum magnificentiam illu-  
stratæ, urbesq; sumptuosissimis ædificiis donariisque exornatæ  
fuerunt. *Hactenus ille.* In quem sensum plura vide *apud Senec. l. 1.  
de Clem. c. 14. Xenophont. l. 8. Cyrop. Plin. in Panegy. c. 211. Dion.  
in Ang. Isocrat. in Nicocl. Cic. Plut. Arist. Guevar. in  
Herol. Princip. Petil. in Ezarch. aliosq;*

**SOLI DEO GLORIA.**



*Coll. oliss A. 89, misc. 48*